



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Disquisitionvm Magicarvm Libri Sex**

**Delrío, Martín Antonio**

**Mogvntiae, 1624**

Sectio I. De fascinatione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62472](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62472)

## SECTIO I.

## De fascinatione.

A **V**T res commodius intelligatur, nota differētia iplicis fascinationis: nam puro vocabulum large sumptum de proprie & improprie dicitur fascinatione, diuidi posse, in poeticā, seu, vulgarem, in Philosophicam, & in magicam.

*Vulgaris*, seu, *poetica*, est, de qua potissimum disputatur; secundum quam dicitur homines fascinari, ipsa visione seu aspectu actiuo fascinatis, veltiam inuido aliquo laudante, eo solo, quod maligne aut malitiose adspicit, vel laudat alium, a quo est auerso animo. Et hæc opinio multa peperit alia opinamēta. primo hoc periculum imminere potius pulchris quā deformibus, pueris quam maioribus etate. Secundo hoc periculum remoueri quibusdam ephymis: nempe si bene precantur ijs, quos cum laude & admiratione intuentur: vel si quid turpiculum pueri gestent appēsum collo, vnde fascino nomen inditum virili membro, eo quod contra fascinationem talia gestarent oscilla: & mutato in paulo honestiorem modum more, digitos duos eū pollice sic inserto, vt tale quid expriment, de gagate, vel ebore, vel argento: vt fit hodie in Hispania (*Higa vocāt*) immo si summo mane surgenti quis ita digitos intendat, id ipsum quoque amuleti esse loco censent, quod malo exemplo Regine euidam fieri aiunt. si baccare frontem cingas, si ter in sinum despuas. deniq; si cum auide lautum edulium sumas, & te intentius aspicienti partem cibi porrigas, *præsificini*, hæc omnia fore, ne fascineris. De turpiculis illis mentio apud Lucillum, teste Glossario: Mu-

A ronium, *απο το αραπτοσ, αλ λικελιασ*, forte loco isto, quem ex lib. 4. citat Nonius, Nam quid mirum subrectog, huic opus signo, vt lurcaretur lardum, & carnaria furum Patrum conficeret? q. d. præstitisset infantulum fascinatum emori, quam in furem adollescere. Tertio censent ad bruta quoque hanc fascinationem pertinere gallinas, agnos. equos, & ferunt fascinatos aliquando cecidisse. Huc pertinent illa poetarum, Virgilii,

B *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.*

item ..... *baccare frontem*

*Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.*

& Theocritus docet contra hanc fascinationem solitos in sinum sibi despuere:

C *αε μὴ βυττωμὸν, τῆς εἰς ἐμὸν ἐπιπαιχθῆσαι*

*Vt non fasciner, ter in meum expui sinum.*

Solēt quidam huc referre illud Albiy Tibulli, lib. 1. eleg. 2.

*Hunc puer, hunc iuuenis turba circumstretit arcta,*

*Despuit in molles & sibi quisque sinus.*

D Verum prior illos versus refutat: qui docet, eum, de quo agit, vt insanum ac lymphatum, cinctum fuisse corona puerorum, & cæterorum: qui tamē, ne quid eis detrimenti ab aspectu, tactuue infani hominis cōtingeret, despuendo se sibi consulere arbitrabantur, cuius superstitiosæ auersionis, vt consuetæ, testis est Theophrastus, lib. de characteris in descriptione superstitiosi. Sed quoniam à Tibullo amans inducitur vtens magicis artibus: si dicas eundem amantem amantemque describi, nō aberrabis à vero. nam Plato, in *Symposio*, amoris furorē



fascinatorium esse docuit: eo quod mutuo aspectu & intentione oculorum, amor hauriatur, augeaturque.

Hanc fascinationem cum suis remediis esse superstitiosam nemo negaverit opinor, quam damnant Dd. Basili. Chrylost. Hieronyma. & alii citati: & profert Richardus, quod l. 3. q. 12. duos articulos, quibus non obscure anathema dicitur iis qui illam tenent. Sine maleficiis vero, opinionem de solo morbo per laudationem inferendo, nemo Catholicus Theologiae peritus, aut vere philosophiae sectator admiserit. Nam quae de vi verborum diximus, & de vi imaginationis, libr. 1. illa conuincunt, nec verbis hanc vim inesse, nec imaginationi quo ad corpus distans, ut vere quidam apud Algazlem, li. 5. *physicor. ca. 9.* asserunt. Ad naturale fascinantis astrum confugere, ridiculum est: omnes enim illa hora nati, fascinatores forent. Vim animae vnius in corpus alterius effectiuam tribuere, est damnatum delirium Auicennae. Nec fatisciant, qui ad temperiei & substantiae dissimilitudinem confugiunt, quia inter res eiusdem speciei nequit esse tanta substantiae pugna ac dissimilitudo. non enim basiliscus basilisco, non vipera viperae, sed homini & aliis animalibus nocent. Et ut vnum animal alteri tam sit noxium, id est, vehemeter naturae antipathia nasci necesse est: hanc vero ex differentia specifica, quam sequitur differentia temperamenti. Quid: quod fascini huius defensores contendunt, etiam fascinari quem solere à beneuolis & carissimis. verba Plutarchi, & Heliodori suggestit mihi, & communis patriae, & religionis coniunctione amicissimus, Andr. Scottus noster. Graeci co-dices mihi nunc non suppetunt: qua-

A re ponam ex versione eiusdem: *Haud sane ignoras, (ait Plutarch.) quod & amicis, & familiaribus & parentibus nonnulli oculum fascinantem esse existimant: usque adeo ut mulieres non ostendant illis pueros, nec diutius ab huiusmodi hominibus inspectari sinant. quo modo ergo id mali videbitur ab inuidia effici: quid porro per Ionem dices de iis, qui dicuntur se ipsos fascinare: nam hoc quoque audisti: sin minus illa certe prorsus legisti.*

*Eutelidae fuerant pulchri per colla capilli:*

*Sed tibi dirus homo conspecto in fluminis vndis*

*Inuidit, turpisque inuasit protinus illum*

*Morbus, & inuidia corrupta est gratia forma.*

C *Narrant enim Eutelidem cum sibi pulcher visus esset, propria specie captum, in morbum incidisse: atque habitum bonum vna cum pulchritudine perdidisse.*

D *Vides fabulam Narcissi fabulae similem: si quid tale accidit: arbitror vtrique contagiosam aliquam fontis exhalationem fuisse exitio. Sed audi quid Plutarchus hac de re censi erit putat enim in his ex vera inuidia id oriri, quod etiam Heliodoro visum: Plutarchus:*

*Audacter dico vniuersas quidem animae affectiones, quibus diu insint, in iis malos habitus ingenerare: hi cum natura vim coeperint, qualibet ex causa moti, sepe etiam inuitos homines in iam proprias ac consuetas perturbationes deserunt. Sic autem considera, timidi etiam ipsa auxilia formidant, iracundi in charissimos quoque sunt morosi. Amatores & intemperantes postremo nec sanctissimis quidem corporibus quamuis morti vicinis queunt abstinere. Mira est enim consuetudinis vis ad attribuendum affe-*



ctum in id quod sibi est proprium. Et qui in lapsus est propensus, ubique necesse est impingat. Nulla est itaque admiratione dignum, si, qui inuidendi & fascinandi habitum sibi induxerunt, etiam aduersus familiares ex morbi proprietate mouentur: aut ubi mori fuerint, quod natura solent, efficiunt, non quod volunt. Quemadmodum enim spheram spherice moueri, & cylindrum in modum cylindri necesse est, pro forme differentia: ita & hominem sic inuidum affectio inuidenter aduersus omnia mouet. Quam etiam verisimile est, illos familiaribus & charis peius nocere.]

Immo vero id mihi minus fit verisimile, cur iam quod frequentius illos respiciant: aliquid id foret, si habitibus non vteremur quando volumus: & habitus à primis illis moribus animi non differrent: quos confundit Plutarchus: non obscure etiam voluntatis humanæ libertati his verbis, vt ex geometrica comparatione patet, frenum iniiciens. A cæteris etiam philosophis recedit, qui perspicue maliuolam inuidiam requirunt amoris repugnantem. Solus Heliodorus Plutarcho consentit, & si de facto dubitet. Porro, inquit, si qui sunt, qui etiam charissimos, & quibus bene volunt fascino: id quidem non est mirandum, si cum sint natura inuidi, non quod volunt faciunt, sed quod naturaliter solent. Præsupponit uterque naturalem vim maleficam illis inesse: quæro qualis? physica an moralis? Si moralis tantum, hæc illis nolentibus nõ elicitor. Si physica, præexistens, aut tunc nata, si præexistens, cur non nocet prius subiecto cui inest. Si tunc nata: qua noua efficiente, causa? nam erga hanc personam bene afficiuntur. Cæteri arbitrii libertatè hac in re cõcedunt,

A & aiunt innoxium intuitum esse, si animo aspiciant non malo, vt aduertit Tostar. in Num. Sed magis philosophice procedit Plutarchus hac in re. Nec tamen felicius philosophatur, de sui ipsius fascinatione. Plutarchi sunt ista: Bonus vir Euclidas, & quicumque seipso dicuntur fascinare, non sine ratione id mihi videntur pati. Periculosus est enim  
B (vt ait Hippocrates) summe bonus habitus, & corpora simulatque ad summum vigorem processerint, non stant, sed cadunt, & in contrarium vergunt. Quando igitur y integrum cõperint incrementum: seque spe melius affectos vident, ad eo vt sese demirentur ac circumspiciant, eorum corpus prope mutationem est (esset Plutarche licet seipso nec demirarentur, nec circumspicerent, iuxta Hippocratem) & per habitus vitium in deterius tracti seipso fascino. (Quomodo per habitus vitium id maliuolentiam dicebas, ergone credendum quæquam sibi ipsi male velle solitum, aut suis bonis inuidere? esto aliis inuiderint, numquam huc se porrigit vis inuidentiæ, vt philautiam animo expellat.) Sed hæc ipsa ratio Plutarchi, quam subdit, ostendit quid fascino nis nomine cõprehenderit, nam subdit: Hoc autem magis fit ex fluxibus, qui vel circa aquas, vel alia quadam specula subsistunt. Exhalat enim spiritus in obiecta: eoque fit, vt quo alii nocebant, seipso male habeant. Quod cum pueris fortasse contingat, falso causa obruentibus adscribitur.] vult ergo Plutarchus in aquam ex oculis spiritus diffusio, & in Euthelidæ, corrupta iam aqua, vapores cum illis spiritus reflexos, cuiusmodi spiritus ex bene habito & sano corpore, vt erat Euthelidæ, emanasse non est credibile. ægrorum & venenatorum illa affectio est, & non

nisi



nisi ex virosis aut corruptis humoribus profectus. Pueros autem affici hoc pacto & fascinari, quia ex se ipsis spiritus quoddam seu qualitates nescio quas effundant, quæ aere corrupto in eos redeant unde exiuerunt: nullus crediderim. Vere tamen Plutarchus, falso causam obtinentibus, scilicet quatenus obtinentur, adscribi pronunciauit: nec enim negare voluit, quod ante asseruerat visu aliquos esse contagiosos.

**B** *Corr. 1.*  
 Si ergo loquamur de hac fascinatione proprie dicta, quam poeticam seu vulgi vocauit, quam ipsa visione cum imaginatione maluola fieri volunt, quod satis ipsum nomen Græcum indicat, dico, illam esse aliquid non naturale, sed fabulosum, superstitiosumque. Hanc conclusionem optime docent quidam egregii medici, ut Iul. Scaliger, de subtilitate exercitat. 349. & Franc. Valelius, Sacre philosophiæ cap. 68. & Theologi ut Richard. quodl. 3. qu. 12. Abulens. locis mox citandis, & Haliacensis Card. in perspectiua, Ciruelus, part. 3. de superstitione capit. 5. Leonard. Vairus, toto ferme libr. 2. & 3. de fascino, & Laurent. Ananias, libr. 4. de natur. dem. Andr. Laurentius libr. 11. histor. anatom. q. 1. probatur auctoritate D. Basilii, homil. de inuid. qui hoc spernit, ut muliebrem nugacitatem. Secundo, quia, cum visio sit actio immanens, & fiat per introsuptionem siue per passionem, non vero per actionem transeuntem, nec per radiorum emissionem, non potest idonea huius fasc. causa naturalis assignari. deniq; quia nec Hippocrates, nec Galenus, nec ullus veterum medicorum (si Valefio, multæ lectionis, & probatæ experientia medico, credimus) huius fascinationis, cum fusissime tamen egerint

**A** de cunctis morborum generibus & causis meminerunt. Ut satis mirari nequeam doctos quosdam Theologos scriptis mandasse: hanc comprobari à medicis & philosophis, nec negari posse experientia conuincente. Vnum tamen medicum solum laudant: si medicus ille bonus & peritus: Marsilium Ficinum, in opere de anime immortalitate, quod non ex Æsculapidarum, sed Academicorum scitis conflatum est. Sed nimirum isti vulgarem fascinationem à philosophica, propriam ab impropria non distinxerunt.

**B** **C** Secunda conclusio. philosophica seu physica fascinatio, non nisi improprie dici potest fascinatio, proprie vero, est contagio seu infectio. Sciendum, pro intelligentia conclusionis, fieri posse ut aliquis alterius aspectu lædatur. nam verum est illud poetæ.

*Dum spectant oculi laesos, laeduntur & ipsi:*

*Multaque corporibus transicione nocent.*

**D** **E** Quod de Ippis, lib. 1. doctum est: Et quidem huiusmodi læsio contingit, maxime quando mutuus est intuitus: etsi possit etiam, quando tantum intuetur oculus lædorem, per modum passionis (de quo nunc non agitur) vel quando solus lædens aspicit lædendum: qua de re nunc agimus. De hac ita Plutarchus disserit: Nouimus homines, qui visu pueris maxime nocent, quippe habitum, utpote humidum ac debilem, vertunt & in deterius mouent: quod quidem minus accidit iis qui induruerint & iam compacti sunt. Tametsi qui circa Pontum habitant, quos olim Thybes appellabant, Philarchus scribit non tantum pueris, sed etiam viris permicrosos esse. tabescere enim &



agrotare, qui aspectum eorum, & habitum, ac sermonem exciperent. Perspecta est autem res, vt videtur, ab iis, qui cum illis commercia exercebant & seruos illinc educabant venales. Verum hac istorum malitia haud proinde fortassis est mirabilis. Nam & attractus & affricatio manifesto quoddam habent patiendi principium, & quemadmodum aliarum auium penna aquilinis coniuncta, decrescunt ac pereunt occulta quadam vi plumarum caulibus putrescentibus: sic nihil est absurdi: hominis etiam tactum partim quidem esse vtilem, partim vero grauem ac noxium. Iam vero ex aspectibus quibusdam noceri, id quidem (vt dixi) sed quoniam causa eius perdifficilis est, pro falso reicitur. Atqui (inquam ego) quodammodo ipsius causa vestigium quoddam ac semitam inuenisti: vt qui ad defluxus corporis peruenieris. Nam & odor, & vox, & respirationis fluxus, euaporationes quaedam sunt animantium, & partes quae sensus mouent, atque illapsa afficiunt, huiusmodi autem longe verisimilius est ex animalibus emanare, vt quorum spiritus, propter calorem & motum, veluti pulsus quendam & concussionem habet: quo spiritu concussum corpus defluxus quosdam assidue emittit, id quod per oculos imprimis fieri par est. Nam cum visus multiplicem habeat motum, cum spiritu ipsius igneam eiaculante, mirificam quandam vim disseminat. Qua ex re multa, tum pati, tum facere per visum, homini accidit: quippe quem res vise vertunt ac modicis tum voluptatibus, tum incunditatibus afficiunt, quin & amoribus (qui vel maximi aut vehementissimi sunt anima affectus) principium dat visus. Hinc diffluit ac colliquescit amator, vbi pulchritas intuetur, ceu ad ipsas adeat. Vnde haud immerito mirari quis possit, esse,

A qui existiment hominem per visum pati ac vexari, non autem facere ac nocere. Pulchrorum etenim ex aduerso aspectus, quodque ex ipsorum oculis exit (sive id lumen sit, sive fluxus) amantes liquefacit, & consumit, cum voluptate dolori coniuncta. (id quod ipsi,  $\gamma\lambda\omega\upsilon\pi\tau\iota\kappa\epsilon\sigma$ , hoc est, dulce amarum vocant) neque enim vel ex contactu, vel ex auditu contingit hominem adeo sauciari atque affici, vt si quos vel ipse afficiat, vel ab iis afficiatur talis enim ex visu diffusi sit, & inflammatio, vt plane amoris imperitos existimem eos, qui mirum putant Medorum naphtham ex interuallo ab igne inflammarum. Pulchri enim etsi per longe distantes intueantur, ignem intra amantium animas incendunt. Sape etiam hominum auguriosorum auxilium videmus, curantur enim hiaticulam intuentes: cui talis inesse vis & temperatio videtur, vt morbum attrahat & excipiat per visum, veluti fluxum exeuntem. Vnde hiaticula ne sustinere quidem sustinent hominem auguriosum: sed a se auertunt, & oculos clausos tenent: non quod illi (vt quidam putant) curationem inuideant, sed quod velut ictu feriantur. Ex omnibus autem morbis maxime ac celerrime contrahitur conuictu lippitudo. Vsq; adeo celere vim habet visus inferendi atque affricandi alius morbi principium. ] Ex his Plutarchi verbis nota, primo, illi hanc fascinationem esse similem detrimentis, quae contactu & affricatione inferuntur: hoc est nihil esse aliud, quam naturalem quandam contagionem: vt appareat eum non admittere vulgarem illam, docent id comparationes eius de rupicula, de lippitudine, de amore: etiam rationes haec mihi non probentur, & alias, libr. 1. veriores in medium protulerim.



Subdit deinde cur noxius magis fit intuitus inuidorum, quam aliorum. *Affecta* (inquit) *anima corpus afficitur*. Nam cogitatio de rebus venereis excitat pudenda, & canibus, praeferoia, in certaminibus aduersus feras, sepe visus exstinguitur, atque excacatur. Mærores autem, & auaritia, ac zelotypia colores vertunt, atque habitus lancinant: quibus affectibus haud minus inuidia in animum penetrare solita, corpus malitia implet, quam pictores eleganter exprimere conantur inuidia faciem depingentes. Quando igitur cumque homines, sic ex inuidia affecti oculos insigunt: hi vero proxime animam ordine locati ipsius malitiam attraxerint, veluti veneno imicta tela impetant, nihil (opinor) praeter rationem aut fidem obringit, si conspectis nocent. Nam & canum morsus periculosiores sunt, si ira perciti mordent: & hominum semina efficaciora esse aiunt, si amore cocant. At prorsus anima affectiones confirmant, & vehementiores efficiunt corporis vires. Propterea id genus amuleta, quae a prohibenda fascinatione, *αποβουαξων* uocantur, sunt qui putent aduersus inuidiam conferendo, quod scilicet (sic) trahatur visus per absurditatem, quominus imitatur affectus.] Aliquid est hoc vltimum in Plutarchi doctrinâ; qui non attingit punctum praecipuum difficultatis, nec enim ostendit, quo pacto ille maliuolus vel calidus affectus queat noxialem qualitatem suam in alium effundere. Mutuatus reliqua à Plutarcho hoc praecclare & luculenter satis explicat Heliodorus, *Aethiopicæ Histor. libr. 1.* interprete Scoto: Sic seres habet. *Hic aer nobis circumfusis per oculos, nares, halitum, aliosque meatus ad profunda penetrans, & ex qualitatibus exterioribus eo secum inferens, qua-*

**A** *lis influxerit, talem etiam ipsa, qua excipitur habitum ingerit. Itaque ubi aliquis liuore percitus res pulchras intuetur, circumstantem aerem qualitate malefica replet ac proprium spiritum acerbis plenum in proximum quemque contorquet: spiritus autem utpote subtilis, ad spiritum usque medullas ipsas peruadit, ac plerisque morbus fit inuidia, & proprium accipit nomen fascinationis. Iam vero illa etiam considera; Charicles, quam multos sane oculorum agritudo, quam multos etiam pestes tabes corripit: cum tamen nunquam tangant eos, qui ipsi morbis laborant, nec aut lecto aut mensa eadem participant: sed cum eundem tantum hauserint aerem.] Vides ut à contagione pestis probet hanc inuidia fascinationem: quia utraque ab exhalationibus seu vaporationibus prauis vitio aere proueniat? Prosequitur: Sit autem tibi huius rationis indicium, si quod aliud, etiam amorum ortus: quibus res vise dant originem, & veluti subuenticas affectiones per oculos in animas eiaculantur. Idque iusta admodum ratione. Nam cum ex nostris meatibus ac sensibus, maxime assiduum visus habeat motionem, & calidissimus sit, paratior existit ad capiendum eas, quae circumcirca sunt desluxiones, sicque amorum transitus inito spiritu attrahit.] mox subdit de rupicula & basilisco, de quibus nos, libro 1. egimus.*

**B** *Habetis ad Philosophorum mentem explicatam fascinationem, quam tuentur Philosophi & Theologi recentiores: quorum breuiter vna & consentiens opinio est; Auicennæ, Algazelis, & gentilium, illa superstitiosa, quæ reieciimus, nihili esse, nec ab ipsa visione, qua visio est, fieri alterationem ullam in alio; sed alterationem effici per venenatam aliquam*



qualitatem manentem in putridis humoribus aut vitiosa complexione ipsius intuentis; hanc qualitatem communicari spiritibus vitalibus, qui imaginatione aciore & attentione intentiore animi concitantur, & excitiam quaerentes ad oculos perueniunt. His spiritibus effluentibus ex oculis non quidem ipsa visione, sed spiritibus simul cum visione excitatis & erumpentibus, aerem proximum malo suo vitum inficere, & ab hac aeris parte aliam infici, & sic perueniri ad partem aeris proximam illi, qui est inficiendus; (puta pueri) & hunc aerem proximum insinuare se in oculos laedendi, & ex oculis eius, quae pars tennerrima citius inficitur, se penetrare in corporis partes interiores. Hanc est sententia Alexandr. Aphrodisaei, in problematib. & Aristot. problema 20. sect. (nisi dicas hunc ex vulgi sententia locutum) aperte est D. Thom. 1. part. question. 117. articulo 3. ad 5. 2. & 3. cont. gent. cap. 103. quem Ferrar. ibi & Aegydy. columna, contr. error. Philosophor. & alij sequuntur. Et probant non male exemplis Richard. d. questione 13. & Abulen. parad. 4. questione 16. & alijs locis, Richardi sunt ista; videmus enim hominem patientem in oculis quandoque aspectu suo ledere hominem, qui illum aspiciat, quod contingit ex hoc, quod oculi mala qualitate infecti, aerem medium inficiunt, & aer infectus oculos directos ad oculos infixos inficit, eo quod secundum rectam lineam & directius illa infectio deriuatur ad oculos adspicientium, quam non adspicientium multum, ad hoc cooperante imaginatione illius, qui aspiciens oculos infirmos imaginatur se laedi, & ego expertus sum in me ipso, me quandoque non potuisse renere aciem visus, nisi cum difficultate directe contra oculos illius, qui infirmitatem

A patentem in oculis pariebatur.] Vide hanc fascinationem, quam Richardus admittit, non aliam esse, quam (vt dixi) infectionem quandam: & praeterea illum addere vnam circumstantiam imaginationis eius qui laeditur; quae valde probabilis est, & propria pestis atque omnium morborum contagiosorum, qui facillime hauriuntur ab ijs, qui timent corripri, vel correptos se autumant. Addit Richardus; Ad hoc est etiam alia experientia, quae habetur per Philosophum, primo libro de somno & vigil. vbi dicit sic, quoniam sicut visus patitur sic & facit aliquid. In speculis enim valde puris cum menstruis superuenientibus mulieres inspiciunt, in speculo, sit superficies speculi, velut nubes sanguinea, & siquidem sit nouum speculum, non facile est abstrahere huiusmodi maculam, si vero sit speculum vetus, facile est causa vero, sicut diximus, quoniam non solum patitur visus aliquid a visibili, sed etiam facit aliquid, & mouet aera, quemadmodum & splendida. nam visus est splendorum habentium colorem. Quod ait visum facere aliquid; non sit accipiendum, quasi velit ipsa visione aliquid emitti, qua visio est; sed simul seu concomitanter quosdam exire spiritus seu vapores, qui noxam illam speculis inferant. dubitari autem potest, vtrum hi spiritus virulenti emittantur per ipsum oculi globum, vt volunt Richardus & Abulen. an vero duntaxat per cauitates orbium seu angulos, vnde solet lippitudo exire: Mihi nullo modo verisimile videtur, per solum globum exire, fieri potest, vt aliqui, sed rari admodum & pauci. putem longe plures exire per cauitates illas, & simul per os, & nares plurimos, & efficaciores, cum expiratione inhalari obiecto, cui da-

mnum



num infertur, sed quod contagio afflatur. Nonne putridi vaporis longepius, & citius expeditiusque, calidius etiam & inflammatus, ab ore in cor per asperam arteriam, quam per oculos solet iramitti? Fortassis etiam veritati prorsus consentaneum est, quod Valefius contendit, ab oculis nec suffusiones, nec nubes, nec albugines, sed opthalmias duntaxat seu lippitudines tantum in alios mitti; minus ergo mittant affectiones non suas, sed aliorum, certe scabiem non oculus, sed manus & contactus membrorum affricabit, Pestilias nunquam aspectu, sed halitu oris solo propagari consuevit: quare agrorum non aspectum, sed contactum, & propiorem accessum fugimus. De menstruatis illa, quoad speculi suffusionem; vera puto: sed quæ de morbis hominum aut alijs admirandis Plinius narrauit, lib. 7. cap. 15. & lib. 28. cap. 7. ea quotidiano usu & experimentis coniugatorum refutari Valefius conuincit. Tertio probat Richardus, eo quod passionibus quibusdam animi, oculi quasi transmutentur, & ignescant ad eo, vt nec ipsi alios nouerint, nec agnosci fere queant? & præterea etiam solo aspectu alios ad amorem aut lasciuia possint pellicere. Putant enim ex solo aspectu, mediante imagine, passionem primum interius concitari, & eam oculis se insinuare, & qualitatem aliquam oculis, illicem ad lasciuum amorem, inferere. Atque adeo esse mulieres seu viros, quibus illicium illud seu qualitas attractiua ad amorem inquit in oculis, per modum qualitatis perpetuæ & immanentis; alijs vero inesse illa duntaxat durante passione amoris, hoc est quamdiu illi ipsi concupiscunt seu amant. Qua de

A re prorsus de re dubito, & pace Richardi dixerim, hæc non sunt admodum verisimilia: nam qualitatem talem inesse aliam, quæ fit ipsa pulchritudo oculorum, vel decentia, & gratia aliqua moralis, quæ venustate, alacritate, decore aut alijs amari dignis conditionibus, animum vulneret hac Cupidinis sagitta; nihil necesse est, cum hæc sufficiant, nos imaginari. Nec vrget probatio Richardi, quam B his verbis subiungit, *Quandoque enim videbis mulieres turpes, & oculos turpes habentes, & tamen quandoque magis aspicientes ad suum amorem alliciunt ex aspectu suo, quam longe pulchriores mulieres, & quandam habent nociuam efficaciam transeuntem: hoc est cum passione transeuntem, quod videtur persuadere experientia, unde viris periculosum est tales mulieres respicere.* C Fateor periculosum, sed quia hæc mulieres sunt illecebrosæ, vel conuersatione vel aspectus gratia aliqua, vel ipsa lasciuia; quæ ex oculis elucens prouocat homines ad id, quod natura deprauata eos inuitat. Nec forma sola capiuntur, qui amant: nam fat cuique formosum, quod amat, videtur.

*Quisquis amat ranam, ranam putat esse Dianam.*

D Quod vero efficacior ad malum fit aspectus harum cum passione amoris seu aromania ipsa percitæ; fit, quia tum acrius oculos intédunt, & ignea illa lux splendidior, addit aliquid decori, sicut & vox eorum, qui ex animo loquuntur, magis solet auditorum animos percellere. Si vis me flere, ait ille, flendum est primum ipsi tibi: si vis amari, ama. nam magnes amoris amor. Et hæc est causa, cur dicat Eccles. cap. 9. versic. 3. *Ne respicias mulierem multivolam ne forte incidat in laqueum illius.* E

*illius.*



illus.] Minime his verbis probare voluit commentitiam illam qualitatem Richardi; qui certe proflus improprie hanc vocat, *fascinationem*, nam & amantes non nisi improprie fascinari dicantur. Quis vnquam Helenam, vel Penelopem vel similes, tor ambitus prociit, *fascinatrices*, vocauit?

Ad Abulensem veniamus, qui stat pro nobis, & accurate rem discussit locis tribus. Primo scribens in *Genes. cap. 21. col. 6. noue editionis*, distinguit, vt nos distinguimus, & vulgarem illam *fascinationem*, quam motibus animi irati attribuunt, refellit; quia tales motus pertinent ad *passiones animales*, & non ad *naturales*: *infirmas autem fundatur super aliqua naturalia, vel harmoniam, vel non harmoniam humorum & aliorum in corpore.*] *physicam* vero istam probat, si fiat in corpore propinquo; nam in longe distans iure optimo negat fieri posse. quia spiritus isti expelluntur virtute naturali, qui sunt aliquantulum graues, vt pote, *humidi humiditate aquea*, & ideo non possunt in longum tendere, nisi per magnam virtutem potentie expulsivae, qualis nec inest oculo; nec, si inestet, sufficeret; quia vis illa noxia resistentia medij facillime commutaretur.

Hæc eadem omnia docet, in *d. Paral. 4. à fol. 52. vbi fol. 55. col. 2.* expresse asserit non dandam *fascinationem* illam vulgarem, sed *Physicam*, quæ pronenit ex aliqua pestifera qualitate existere in animali per modum morbi; & distinguit inter propinquum obiectum & remotum, *fol. 51. col. 4. & fol. 57. col. 2.* & quoad propinquum prudenter addit, necessarium esse, vt illud propinquum dispositum sit ad recipiendam corruptionem illam *fascinationis*, quod docet dict. *fol. 51. col. 4.*

A & vero certissimum est. Verum idem hanc materiam magis ex professo examinavit comment. in c. 21. Num. à q. 9. & qu. 10. docet, quod præsupponimus, speciei visibili nullam inesse qualitatem actiuam, vel passiuam alterantem ad modum quatuor naturalium qualitarum: quia species visiva, nec calidæ, nec frigidæ, nec siccæ, nec humidæ sunt, formaliter, aut effectiue, sed nec virtualiter: & tantum illæ efficere possunt, vt res, cuius species sunt, videatur. Quare ipsæ nocumentum nullum inferre queunt per se; sed aliquid illas comitatur, vnde noxa hauritur: quæ haud dubie sequeretur, etiam si res visa non videretur; & vidēs, oculis clausis, non vidisset. Illud vero concomitans, esse spiritus (corpora quædam subtilia) substantiæ calidæ & humidæ, qui in vapores quosdam resoluuntur. Hi si ad corpus aliquod tenerum delati ei adhæserint, *frigiditate superficiæ corporis solidi, cui inhaerent, & aeris circumstantis, condensantur, atque visibiles effecti corpora apparent.* Et hoc in speculo, in quod intuetur menstrua, contingere. Animalia itaq; in quibus hi venenosi humores sunt, per oculorum pupillas spiritus emittere solere; qui valde noceant iis, quibus inhaerint. Et hos spiritus non pertinere ad potentiam visiuam, sed ad tactiuam; quæ per applicationem & contactum operatur; & illi per calorem, vel humorem nocent.

Qui per ipsam visionem, qua videt, dicunt malum inferri, necesse est, fateantur cum Platonice visionem fieri per radiorum emissionem; quod omnium accuratissime refutauit Abulens. *sup. qu. 11. rationibus validis octodecim. Idem, qu. 14. cum seqq. vsque ad 19.* postea pressius *fascinationis* materiã

discu-



discutiens, q. quidem 14. expresse asserit, hæc verba; Dicendum est quod plurimorum, qui catholica veritati valde inhærent, fascinationem nihil esse dicunt, nullum quoque animal fascinari, id est oculo percipi, nullumque bonum aut malum per oculos causari. Horum autem modus sane, ut isti accipiunt, solidam veritatem habet. Vulgares namque qui secundum suum nomen insipientes sunt, arbitrari & asserunt, quosdam homines esse malorum oculorum: addentes, quod si isti oculo furibundo, aut inuido, vel qualitercumque ad malum modo aspiceret aliquid voluerint, illud cadent atque occident. Et si benigno oculo illud conspexerint, nihil nocebunt. Hæc autem penitus falsa sunt, & natura dissona. Vides sententiam Abulensis, de vulgari fascinatione; qui recte ostendit, si qualitas illa insit venenata, etiam cum nolunt, obtutu nocituros, ut recte Plutarchus, & Heliodorus censuerunt. Idem q. 18. significat hanc fascinationem ab Ecclesia damnari. Nos quoque (scribit) cum tota Ecclesia fascinationem improbamus, quam accipiunt vulgariter intelligentes: qui enim vulgo loquuntur, in pueris teneris, pullis, atque paruis porcis fascinationem interdum asserunt euenire, similiter in alijs domesticis animalib. nescientes quid fascino sit. Hæc ille de vulgari: nam de physica, q. 14. docet, illam per cogitationem prædictorum vaporum fieri: & q. 15. docet quædam animalia id natura insitum habere, ut queant sic nocere: quædam omnibus, alia non omnibus, sed ad hoc dispositis: & tales esse homines, qui non quando volunt: & quibus volunt: sed, si non concurrant requisita ex parte agentis & patientis: quibus volunt, nequeant: si vero hæc omnia concurrant, etiam si nolint, noceant. Vnum tamen addit explicatione indigens, his verbis: *Habet tamen qui hu-*

A *iusmodi est, aliquid in sua potestate, quoniam si clausos semper oculos tenere voluerit, neminem fascinabit unquam, aut, cum se voluerit ab aliquare custodire, ne eam fascinet, claudet oculos & erit impossibile eam fascinare.* Hoc ex hypothesei verum duntaxat, si vapores isti ex oculis solis prodeant: nam si ex ore vel aliunde, nihil prohibet, etiam cæcis talem vim adscribere. Prudenter addit, *qaestio. 16.* licet plerumque hæc noxa tenerioribus corpusculis inferatur: interdum inferri posse durioribus, si valde vehemens & excessiua sit hæc qualitas, ut in basiliscis & lupis quodam quous homines experimur: denique, q. 17. docet ex hac eadem causa posse quædam in corpora remotiora, quam queant alia: quæ omnia certa sunt, nec alia indigent probatione.

B *Sufficient ad probandum aliquam esse fascinationem naturalem seu philosophicam, & eos qui fascinationem defendunt ( ut Ronseus epistol. 48. Franc. Xuares, in Metaphys. disput. 18. section. 8. capit. 26. & cursus Conimbricensis 5. li. phys. & alij) de hac tantum, non de priore illa poetica & vulgari, locutos,*

C *Pars altera conclusionis quæstionē ingerit de nomine: an fascino dici debeat ea, quam ex vitato humore spiritus isti conciliant, noxæmodi λογισμαξιν, omnem; quando nihil ex vocis usurpatione mali consequitur. Sed quia, sicut de Fati, voce dici solet; nomen esse suspectum, etiam si, quis mentem habeat non malam: sic etiam de fascinationis voce libenter usurpem: sine addito, seu explicatione, illam non esse probandam. quia periculum est, ne quis aliter accipiat, quam tu protuleris: cessat periculum, si sic loquaris, ut metaphoricè, non proprie te locutum, ex contextu seu orationis serie facile deprehen-*



datur, quod in S.S. & Patrum locis, mox proferendis, factum.

In hac vero quaestione, cum agimus, an detur *fascinatio*? confestim omnes sic nomen accipiunt (& merito) vt vulgo consuevit. Nam vbi metaphoræ vel analogiæ ratio aliud non stradet, receptum est vocabula in propria significatione sumere, maxime inter physicos vel metaphysicos. Ideo sancte admodum Tostatus proficitur: *satis sibi molestum esse confiteri publice aliquam posse fieri fascinationem* (confitebatur de sola physica) *hoc autem non ideo quod veritas latere debeat* (desiderat enim veritas in publico collocari) *sed quia simplices, impotentes distinguere a falsis vera, cum audirent fascinationem possibilem, arbitrarentur aliquid, quod inconueniens esset, & ad superstitiones varias vertenterentur.*

Hæc ille sapientissime. Quid? quod certe decet philosophum & Theologum verum, quoad fieri potest, vocabulorum proprias significationes non confundere, ne vel Grammaticis ludibrium debeat, vel fateatur se improprie loqui. Macedonum illud probum, ligonem ligonem, palam palam, proditorem proditorem vocari. Nihil clarius, nihil expeditius, nihil ad erudiendum alios accommodatius. Quis ferat, si incendium voces diluuij nomine, quia flammis omnia inundat? si morbis aliena affingas nomina, quis probet? facis, cum contagioni fascinationis nomen imponis. Quid est *fascinatio*? *fascinatio* nem, definit Tostatus (q. 15.) *cum aliquis quempiam videns, ad eum non coniunctus corporaliter, nec in eum quidpiam agens, eum laedit.* Nonne in fascinationis nomine omnes includunt pro instrumento vel efficiente ipsam visionem, & præterea requirunt animi malignitatem? vt proprie dicta *fasci-*

**A** *natio*, vere non sit aliud, quam (vt definit Valefius) *passio oculis illata & concepta, profecta ex quibus affectione animi maligna eius qui intruetur.* (certe hoc Aristoteles, Plutarchus, Heliodorus, Plinius, confirmant) at hæc desunt in physica hac contagione; sed ea ad humores omnem agendi refert efficacitatem. differunt ergo physica & vulgata, cumque vulgata proprie sit *fascinatio*, vt pote cui primo nomen inditum; & physica dūtaxat trāslatitiè, per quandam analogiam, late sumpto nomine, sic appelletur; consequens est improprie hanc dici *fascinatio* nem: atque omne contagium ore, halitu, naribus, effricationem membrorum illatum eodem iure dici posse *fascinatio* nem physica. Repugnat notio nominis. Nam, *fascinatio*, non deducitur (vt quidam opinati) a *fando*, quod incantationibus inducatur; sed origine Græcicum est, quia *fascino*, formatur a *βασκάνω*, mutatis duabus litteris. *βασκάνω*, significat inuidere, quod, Cicero teste, vsurpabant pronimium videre, quoniam qui inuidet alicui, ab inuidiosi felicitate nequeunt oculos auertere, *βασκάνω*, proprie est inuidentia. Deut. cap. 28. vers. 56. vbi nos habemus, *inuidebit fratri suo*, Græce est *βασκάνω*, quod Diuus August. l. locutio. Hebraice. transfert. *fascinabit.* Chaldaeus autem, *habebit oculum nequam.* Nec ignotum illud patrifamilias. *an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum?* Matth. 20. quod de inuida mercedis alienæ contemplatione dictum. Et quia liuor in oculis maxime se prodit etiam Horatio teste, *Non isthuc obliquo oculo mea commoda quisquam Limat, non odio obscuro, morsuque venenat.* ideo fortassis Eccles. 31. v. 25. pronunciatū. *nihil oculo nequius creatum*: hoc est inuidētius, nisi malis eo referre, quod o-

culus



culus peccati & concupiscentiæ fenestra esse soleat, malorumque animi affectuum index seu leno potius illecebrosissimus. Nihil enim hoc ad probandam fascinationem facit, vt nec alia SS. loca, vel quorundam Patrum auctoritates. Nam fascinationem latissime suspicere, pro quavis graui deceptione, vt etiam Magica præstigia comprehendat, de quibus mox dicam. Sic accipio, *malum oculum*, in epist. Dauidis Imp. Abifinorum ad Manuelem Regem Lulitaniæ apud Fran. Alvarez histor. Æthiopiæ. cap. 135. Sic ait Sapiens, Sap. 4. v. 12. *fascinationis nugacitas obscurat bona.* Græce est, *βαρκαρία ἢ φαλόη*, id est fascinū vile, nugax. & nihili; phrasili Hebræa. Sic enim significat, à vilissimis, & minimi precij quilibet terrenis, maxime à nugatoria & adulatoria laudatione, ita nos præstringi, & ludificari, vt ad vera bona prorsus cæcutiamus vt bona pro malis, mala pro bonis habeamus; terrena cælestibus, sepiternis interitura præferamus, fascinationis vero nomē vsurpat, quia vulgus Iudeorum falsam illam fascinationem credebat contingere, adeo vt huiusmodi fascinatore oculum Saræ impij recutiti tribuere non vereatur; quod Abulenti. in 21. c. Gen. refellit. D. Bona. comment. in v. illum 12. vidit alludi ad fascinationem & ideo dicit, secundū quod homines maligni dicuntur laudando pueros fascinare, satis indicans quanti illa faceret. Sensum quem diximus, in noris suis Pet. Nannius Alemarius ex parte amplectitur. Ad specū etiam ad illam opinionem, Metaphorice D. Paulus locutus, ad Gal. 3. v. 1. cum scribit; *Quis vos fascinauit, non obedire veritati:* hoc est quis vestram salutem & veram fidem vobis inuidens, adeo de mentauit, vt ad lucem clarissimam calligetis; & tam subito leuiterque ab ea

A fide defeceritis, quæ tam manifeste vobis à me tradita fuit; ac si penicillo prædicationis ante vniuscuiusque vestrū oculos CHRISTVS pro vobis crucifixus foret? Vera hæc S. S. locorum sententia, Diui Hieronym. non obscure sententiam suam prodidit, habere se pro fabula illud vulgi. Digne (ait) Paulo qui est imperitus est sermone, non tamen & scientia, debemus exponere: non quod scierit esse fascinum, qui vulgo putatur nocere, sed vsus sermone sit rruuū, & vt in cæteris, ita in hoc quoque loco verbum quotidiana sermocinationis assumpsit. Dicitur fascinus proprie infantibus nocere, & arari paruula, & his qui nec dum firmo vestigio figant gradum. Hoc vtrum verum nec ne sit, Deus viderit: quia potest fieri vt & demones huic peccato seruiant, & quoscumque in Dei opere vel cepisse, vel profecisse cognouerint, eos à bonis operibus auertant. Nunc illud in causa est, quod ex opinione vulgi sumptum putamus exemplum, vt quo modo tenera nra noceri dicitur fascino: sic etiam Galata in Christi fide nuper nati, &c. Adeo certum Hieron. naturaliter id non contingere; vt, si fiat, opera dæmonis fieri celsuerit. Eadē mens Chryso. in idem c. 3. scribentis, monet enim ne, quando audimus inuidiam seu oculum malū, existimemus, quod oculorum coniectus intuentes lædere soleat; *ὡς τὸ το νομισ, ὅτι ἡ ὀφθαλμῶν βολὴ τῶν ὀφθαλμῶν βλαπτὲν πέρυον.* & reddit rationem quia ipsum oculi membrum malum esse nequit; verum hoc pacto liuorem animi à Christo notari. Nam oculorū est simpliciter tantum videre; cæterum perperam videre, est animi intus deprauari. Additur nō tamen hæc dici, quasi liuor per se alteri nocere possit: sed ostendat eos qui ista docebant, per inuidiā ad hoc venisse: *ταυτα θηλέγει οὐχ ὡς τὸ πρὸν μετὰ ταυτὸν ἔχῃ.*

Matt. 6.  
x 20.



ἔχοντες, ἀλλ' ὅτι &c. vides omnem vul-  
 garæ opinioni aditum obstruxisse, re-  
 mouet oculi organum, remouet visio-  
 nem, remouet ipsam inuidiam. I-  
 dem diserte vulgarem illam de vetulis  
 fascinoibus opinionem reprehendit,  
 homil. 8. ad Coloss. B. Anselmus add. c. 3.  
 exponit quidem, fascinoibus, liuido læsit  
 intuitu: & respectu inuidia vos tenel-  
 los læsit, dolensque de promotu vestra per-  
 fectionis ac fidei solo liuore nocuit: sicut  
 aliquis qui solo respectu dicitur res alie-  
 rius posse diminueri: & ita vos liuenti  
 suo aspectu tabescit, vt non credatis ve-  
 ritati meæ prædicationis. sed falsitati sui  
 dogmatis. verum subdit aliam inter-  
 pretationem, nempe: Vel sicut incantato-  
 res fascinoibus & deludunt homines, vt cre-  
 dant verum esse, quod falsum est: ita ne-  
 scio quis fascino sua deceptionis ita vos in-  
 cantauit ac verbis suis immutauit, vt &c.  
 vides de vulgari loqui per, dicitur: de  
 magica absolute, sicut & D. Hiero. lo-  
 cutus est, quem imitatur. vt & Prima-  
 sius ipsismet D. Hiero. verbis compen-  
 dio acceptis vtens, quemadmodum  
 Theoph. Chrysofom. Sedulius totum  
 illud prætermittit, contentus inter-  
 pretari, fascinoibus, hoc est, inuidit. Ca-  
 ietanus retulit ad magicas sensuum lu-  
 dificationes, Catarinus ad physicam  
 quam dixi fascinationem, non ad vul-  
 garem. Sed verior, commodior saltem,  
 explicatio Caietani, quæ Adamus Sas-  
 baut, siue Leonard. Hassel. secutus fuit.  
 Nam quæ Sasbauto ascripta post mor-  
 tem commetaria in epist. Pauli & Eia-  
 iam, sunt selecta & in ordinem digesta  
 ex lectionibus prædicti Leo. Hasselij,  
 vt norunt, qui contulere, & huius illu-  
 auditorem fuisse meminerunt. Sept.  
 Tertullian. videtur hanc vulgarem o-  
 pinionem solis Ethnicis adscribere, &  
 liuori seu odio, fascinoibus, nomen tribue-  
 re: & quia pulchris periculū imminere

A putabant, ideo remedio, velamen capi-  
 tis, virginibus commendat, quoniam  
 eo aspectus arcebat. Sic scribit li. de  
 virg. velan. cap. 15. Sed enim vera & tota  
 & pura virginitas, nihil magis tenet, quam  
 semetipsa: etiam faminarum oculos pati  
 non vult, alios ipsi oculos habet confugit  
 ad velamen capitis, quasi ad galeam, quasi  
 ad clypeum, qui bonum suum protegat  
 aduersus iclus tentationum, aduersus ia-  
 cula scandalorum, aduersus suspiciones,

B & susurros, & emulationem, ipsum quo-  
 que liuorem. Nam est aliquid etiam a-  
 pud Ethnicos metuendum, quod fasci-  
 num vocant, infelicioem laudis, &  
 gloria enormioris euentum. Hoc nos in-  
 terdum\* diabolo interpretamur, ipsius  
 est enim boni odium. Interdum Deo de-  
 putamus, illius est enim superbia indi-  
 cium, extollentis humiles & deprimen-  
 tis elatos. Timebit itaque virgo sanctior

C vel in nomine fascinoibus, hinc aduersarium,  
 inde Deum, illius liuidum ingenium, hu-  
 ius censorum lumen, &c. En tibi agno-  
 scite rem, causam reddit aliam quam  
 vulgo putabatur: effici hæc damone fa-  
 ciente, Deo permittente, nihil verius.  
 Hæc ergo Patrū Orthodoxorum sen-  
 tentia: nec fauent illi, vel Henrico Cō.  
 Agrippæ physicam fascinationem im-  
 pugnant: quem refellit Six. Senens. l. 6.  
 D bibliothecæ. annot. 267. vel Cinglianis hæ-  
 reticis, nimium vulgari illi tribuenti-  
 bus, Caluino, in Exod. c. 22. Aretio, pro-  
 blem. de fascinoibus. & Lamb. Danæo, ca. 2. de  
 sortiar. qui auctoritate quorundam  
 Patrum calumniose abutuntur.

E Tertia concl. quadam & frequenior  
 fascinoibus pendet à damone maleficio,  
 qui strigi vel sortiaro ex pacto nocere  
 volenti cooperatur. Qua definiti potest,  
 fascinoibus est perniciofa qualis à damo-  
 num arte illata, ob tacitum vel expressum  
 hominis cum damone pactum. Hæc pro-  
 batur auctoritate D. Hieron. & aliorum



Patrum iam citatorum D. Tho. Abulens. Ferrar. Xuaref. & cæterorum Theologorum laudatorum, probatur experientia quotidiana & confessionibus sortiariorum. Ad hanc opinor referenda plurima, quæ varijs scriptoribus visa ad alias species referenda, nam solent pacifici nefarij isti homines, ut quos liuidè vel iracundè aspexerint, ijs dæmon perniciem inferat, ignari postea putant hæc ipsa visione perpeffos quorum ex numero bonus poëta Hieron. Vida, *Bombycum* libr. 2. narrat, quod suo tempore accideret;

*Quandoquidem meminisse Tusci alta  
inripe Viterbi*

*Ipsæ senem vidisse ferunt, cui dira  
vigebant*

*Ora, graueque oculi suffecti sanguine  
circum,*

*Fronsque, obscæna situ, hirtisque in ver-  
tice cani.*

*Ille truci (scelus) obtutu genus omne  
necabat*

*Reptantum, tenues animas, paruasque  
volantes:*

*Quin etiam si quando hortos ingres-  
sus, ubi amicus*

*Exiit expleto turpem nouus orbe se-  
nectam,*

*Floribus & passim per agros inca-  
nuit arbor,*

*Ille hortis stragem dedit, arboribus-  
que ruinam:*

*Spemque anni agricola mæsti sterneret  
caducam.*

*Nam quocumque aciem horribilem  
intendisset, ibi omnes*

*Cernere erat subito afflatus languet  
cere flores.*

*Quis enim credat vno humore na-  
turaliter tam diuersæ speciei res solo*

A afflatu interemptas? Sed immiscebat Dauus ille cuncta interurbans. Talis etiam fuit Telchinum fascino, à quibus inuidi, & fascinores vulgo *Telchines*, dicti B. Gregorio Nazianzeno & Synesio, Gregorio vero Palamæ, *Tabes Telchinodica*, idem quod tales vultu fascino & insidioso blando illata, ferunt (fabulæ) Telchinas fratres nouem ex Actæonis canibus in homines verfos in Rhodo insula, Rheæ comites, & in varias species se conuertere solitos: nunc hominum pedibus manibusque truncorum, nunc piscium, nunc anguim, nunc dæmonum, insignes plane veneficos & prestigiatores crediderim, & inuidos (vt ait Hesych.) fascinores: vel potius veros cacodæmones admodum maleficos, *δουλοπικαλῶν βέλγυνος*; pessimo fine homines hos præditos vellent demulcentes, vt scribit Eustachius, in XIII. iliad. inuidos dæmones fuisse indicat D. Nazian. & post illum Tzerza, atque ideo etiam dicti, *παλαμῶν*. quasi manuum opere exitiosi.

B in varias species se conuertere solitos: nunc hominum pedibus manibusque truncorum, nunc piscium, nunc anguim, nunc dæmonum, insignes plane veneficos & prestigiatores crediderim, & inuidos (vt ait Hesych.) fascinores: vel potius veros cacodæmones admodum maleficos, *δουλοπικαλῶν βέλγυνος*; pessimo fine homines hos præditos vellent demulcentes, vt scribit Eustachius, in XIII. iliad. inuidos dæmones fuisse indicat D. Nazian. & post illum Tzerza, atque ideo etiam dicti, *παλαμῶν*. quasi manuum opere exitiosi.

C Tales etiam Tybios fuisse Ponticos de quibus Plutarchus superius meminit, & Plinius l. 7. cap. 2. his verbis, In Aphricæ esse familias quasdam effuscinantes Isogonus & Nymphodorus tradunt, quarum laudatione intereant probata, arescant arbores, emoriantur infantes. Esse eiusdem generis in Triballis & Illyrijs adicit Isogonus, qui visu quoque fascino intereant que quos diuinitus intuentur iratus præsertim oculis. Quod eorum malum facilius sentiret puberes. Cælius firmat Cælius, in Noct. Attic. eodem referendus, vt & Beat. Isidorus Junior in Originibus.

E Fieri autem hæc pacti cum dæmonibus initi vi satis ostendit, quod fascinores huiusmodi notas esse volunt; si in oculis ambobus, vel eorum altero, binæ sint pupillæ, aut in altero effigies equi aut canis: quæ nihil dubito est.

vide  
Astag.  
τ λχινος



ftigmata, quibus mancipium Satanas suum insignavit. Nostris enim temporibus deprehensæ, quibus in oculis erat nota catellini vel boffonij pedis: & quod de gemina pupilla dicit, ita capio, ut videri geminam credamus non esse.

Obijciunt ab Aristotele, Plinio & alijs rutam, gagen, hyenæ pellem & alia remedia naturalia præscribi: morbum igitur esse naturalem. Respondeo hoc argumento probari duntaxat, improprium illam fascinationem physicam: deinde etiam hæc valere contra dispositiones corporis quibus dæmon abutitur: & sic indirecte refragari ipsi dæmonis aëioni.

Vulgo receptum ut magicæ præstigiæ omnes per Metaphoram fascinationes vocentur: quo sensu Iaquerius librum edidit, quem vocat *flagellum fascinatorum*: & eodem sensu dicuntur Iudices à strigibus fascinari. qua de re sic scribunt inquisitores Germani. *Sunt & tales malefici, quæ iudices solo adpectu & oculorum virtute maleficare sciunt, quod eis nullam molestiam inferre queant.* Mallei fol. 340. item *Experientia nos docente novimus, quod iudex aut alij assessores: ita alienati in eorum cordibus fuerint, quod omnem, si quam habuerunt indignationem miserunt: nec ipsas molestare quoquo modo præsumebant, sed libere abire permiserunt. Qui scit & videt expertus est, & verum dat testimonium, & vitæ namque alia præcurare non possent.* Sic illi fol. 55. Arbitror Deum non permittere in iudices fideles, & rite ac iuste procedentes; sed duntaxat iudices iniquos, aut modicæ fidei, aut curiosos, &c.

Restat videre unde vulgaris illa fascino nata sit opinio, de oculo visione, vel ore laudando fascino. Placet Frac. Valesij coniectura fortassis inde, quod pueri, qui solito crassiores, nitidiores,

A pulchrioresque sunt, à foeminis virisque; occurrentibus solent attentius aspici, laudari, palpari, motitari, in vlnas & palmas accipi. Verissimum vero est dictum illud Hippocratis, *habitum qui ad summum bonitatem attingit, esse periculosum: & illud Cornelij Celsi; Qui nitidiores soliti sunt, suspecta sua bona habere debent.*

B Cum ergo infantuli, ob naturalis habitus teneritudinem, cum visi sunt optime valere, sæpe ex inopinato in magnum aliquod vitæ discrimen incidunt; vulgus non intelligit causam tam repetinæ mutationis; & quia hanc non intelligit, suspiciosum in malum, culpam in adspicientium atque laudantium oculos & verba conijcit: quos cum quotidie pueruli pulchelli, & obesuli plurimos habeant, facile anus aliqua rugosa & deformis in hoc numero reperitur. quod genus cum sit tetrum, morosum, & odiosum, ei potius adscribitur noxa, quam cæteris. Hanc vulgi opinionem paulatim (quæ mortaliū curiosa leuitas est) etiam doctiores nonnulli superstitiosi, vel ingenij quidvis defendendo ostentandi: auidi sunt secuti.

D tandem ab infantulis ad agnositum. in quibus causa non admodum dissimilis. denique proserpens per audaciam ignorantia, ad equos, segetes, & alia fabulam produxit.

## SECTIO II.

### De maleficis venenarijs.



SECUNDO loco nobis offert, *venenarij*, propter dictum V Vierus nullum agnoscit huiusmodi, quia putat nisi vero a naturali veneno sagas nocere non posse; nec ab eo longe abit. Et chemerus Lutheranus. Sed huic magistrum eius, Lutherum, illi, Venerandum (ut solet vocare) præceptorem suum

Agrip-